

sive per terram, quocunque modo poteritis, ad sedem apostolicam venire pro viribus laboretis. Speramus enim in Domino quod interim ille qui potenter imperat ventis & mari, frementis freti fluctus sedabit, ut fiat optata tranquillitas navigantibus, & inimicos reducet ad pacem, ut fiat iter agentibus via tuta. Ad hæc, quoniam consimiles litteras venerabili fratri nostro Archiepiscopo misimus Vpsalensi, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ei & suffraganeis ejus districte præcipias ut usque prædictum terminum quocunque modo poterint ad apostolicam sedem venire pro viribus elaborent. Sane quia, ut asseris, ad crucis negotium promovendum tibi non sufficit evectio numerus nostris litteris designatus, & usque ad tricesimum numerum postulas licentiam tibi dari, nos hoc tuæ conscientie duximus committendum, ut super hoc procedas sicut videris expedire. Tu denique, frater Archiepiscopo, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IX. Kal. Martij, pontificatus nostri anno sexodecimo.

155.

1215 d. 1 Mars.

Hargh.

Ärke-Dieknen i Linköping SIGTRADS testamente till Linköpings Domkyrka, till alla kloster och Hospitaler inom samma stift, till några Prestmän, slägtingar och tjenare, dels på hemman och lägenheter, dels på Silfver, penningar, böcker, klädespersedlar m. m.

B. 3: 94. b.

In nomine dominj amen Anno incarnationis eiusdem Millesimo ducentesimo/Quintodecimo Kal. Marcij ego Sigtradius archidiaconus lincopensis constitutus in hargh sanus mente licet debilis corpore testamentum meum condo & facio in hunc modum In primis lego domino meo lincopensi vnum vas argenteum deauratum & duos libros videlicet legendam sanctorum & unum librum qui vocatur summa prouincialis Item ecclesie lincopensi apud quam mihi sepulturam eligo lego curiam meam arlogha sitam in wist cum omnibus pertinentiis suis mobilibus & immobilibus preter duos colonatus scilicet apaldaas & haghan quos do famulis meis Boecio videlicet haghan & syaro apaldaas pro quibus prediis refundo <sup>1)</sup> ad redditus predictæ curie locum vnius molendinj situm circa stamsrid super quo fuit contencio inter me et dominum magnum hethasun ita tamen quod eadem curia dignitati archidiaconatus subiaceat in ecclesia supradicta hac nichilominus adiecta condicione ut archidiaconus qui pro tempore fuerit racione dicte curie singulis septimanis vnam missam pro defunctis teneatur in perpetuum per se uel per alium facere celebrarj Verum si cessante impedimento legitimo predicta condicio adimpleta non fuerit ex tunc predictam curiam ordinacionj dominj prepositj domini stenarj dominj Wimundi Canonico-

1) Detta, till slutstafvelsen nästan utplånade ord, har af Örnhielm, D. 3: 533., blifvit läst refundent.

rum eiusdem ecclesie & dominj guthmarj generj mej vendendam committo Quos huius mei constituo executores testamentj Rogatus & intime supplicans ut si dictam curiam vendi uel distrahi contingat precium pro eadem acceptum sic ordinent secundum quod in conspectu altissimi iustum esse nouerint & anime mee magis crediderint expedire Item eidem ecclesie lincopensi lego omnes libellos meos iuris videlicet gaufridum lecturam petri de sampsona super decretales & distinctiones eiusdem Questiones bartholomej cum breuiario bernardj casus legum ostiensem super quartum librum decretalium. glosam decreti cum paleis & hystoriis Item predium quoddam quod comparuj pro XII marcis in fythiastadum lego dignitatj archidiaconatus Item cuilibet claustro lincopensis dyocesis lego vnam marcam argentj & super hoc fratribus minoribus lincopie meum griseum palifridum Item cuilibet hospitalj eiusdem dyocesis tantundem Item pro redempcionis crucis mee ad terram XX marcas argentj Item fratri meo magno duas crateras argenteas cum VI coclearibus argenteis lego Item neptj mee margarete lego uestes meas meliores quas habeo sorcocium tunicam & mantellum Item nepoti meo karulo paruulo lego balteum meum argenteum cum VI coclearibus argenteis Item de aliis uestibus meis tunicam meam forratam de pellibus matherinis cum cappa mea & capusio lego magistro stephano skæninghe Item alias uestes meas sorcocium videlicet & tunicam lego sacerdotj meo forcundo Item tabardum meum forratum de variis cum duabus summis paruīs viridia coopertoria habentibus lego domino Johanni de lomæryd ut iugiter in memoria animam meam habeat Item famulo meo beocio lego omnia lectisternia mea Item famulo meo karulo dicto pic lego somarium meum Item ecclesie mythælby in wythbo lego breuiarium meum & missalem simul in vno volumine tali sub condicione quod quilibet sacerdos alteri succedens in eadem ecclesia usque ad decem annos teneatur omni ebdomada vnam missam de mortuis celebrare in remedium anime mee & si contingerit eum casu aliquo prepediente illud in vna septimana omittere suppleat in sequentj Quatuor dumtaxat ebdomadis exceptis per annum videlicet ebdomado post palmas & ebdomada pasche penthecostes & natiuitatis dominj & ad hoc sit coram deo & ecclesia vsque ad predictum terminum firmiter obligatus Pro huiusmodi legatis facilius ad effectum deducendis obligo curiam meam orraryd pignorj ecclesie lincopensi pro CLX marcis vsualis monete ita tamen vt heredes mej infra annum plenam habeant potestatem dictam curiam redimendj Vt autem huius mei testamentj ordinacio debitum sortiatur effectum & plenariam firmitatem sigilla dominj mei episcopi lincopensis. Capituli Dominj prepositi Meum Dominj stenarj Magistri Boecij & dominj guthmarj generj mei nec non & custodis lincopensis fratris Johannis presenti feci pagine in facti euidenciam applicarj actum loco & die supradicto.